

rent. Nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere profliret, sed traberetur diu Penitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & voluntas, & necessitates singulorum, secundum quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt. S. Pacianus adversus Sympronianum epist. 3. Ego plantavi, Apollo irrigavit, sed Deus incrementum dedit: ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quare sive baptizamus, sive ad Penitentiam cogimus, seu veniam Penitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit. Jam quam argute caput illud absolvis, quod ego posui, datam Episcopis potestatem, ut quæ ligassent in terris, ligata essent in Cælis. Dicis, hoc non ad fideles, sed ad Catechumenos pertinere: ut baptizandis adhuc scilicet populis solvi liceret crimina, vel teneri. Quod si ad gentes hanc solvendi licentiam, vel ligandi spectasse concedam, multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit, vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille, quem fidei jura tenuerunt. Ais, posuisse Matthæum: si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum solus cum solo, ac statim subjunxisse Dominum; quæcunque solveris in terra, soluta erunt & in Cælis, ut ad fratris offensam pertinere videatur. Age, non vides, quod supra dicit, si in te peccaverit frater tuus; hic vero addit; amen dico vobis, quæcunque solveritis in terra &c. Illud uni jussit, hoc pluribus relaxavit; illud ipse solvit, in quem admittitur; hoc vero Ecclesia: illud sine Sacerdote, sine fratribus; hoc ab omnibus impetratur. Quæcunque solveritis, inquit, omnino nihil excipit. Quæcunque, inquit, vel magna, vel modica. Ambrosius lib. 1. de Penitentia cap. 2. Sed ajunt se Domino deferre Penitentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus; accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt, quis est ergo qui magis honorat, utrum

qui mandatis obtemperat, an qui restitit. Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alligat, & relaxet &c. Sed ajunt, se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam penitentiam putavit, ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret; ne ligando sperari faceret a se solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.

V. Probatur ex Legibus secularium Principum. Constantinus Magnus audient Novatistarum appellationem ab Ecclesie judicio ad se ipsum factam, exclamavit: *Onrâvida furoris audacia*. Licenti in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt; quod refert Optatus Milevitanus lib. 1. pag. 44. E præterea statuit hanc legem, quæ legitur in fine Codicis Theodosiani. *Multa enim, quæ in judicio captivos præscriptionis vincula non patiuntur, in vestigiis, & promissis sacrosanctæ religionis auctoritas*. Ad quæ addit P. Boucat. Hoc edictum suo munivit calculo; Theodosius, hoc suo Carolus Magnus; hoc Ludovicus Pius, qui illud in sua translulit capitularia lib. 6. cap. 28. 1. Illud ipsum refert Gratianus II. q. 1. cap. 35. *Quicunque*

VI. Probatur rationibus I. Ecclesie Personæ sunt extra seculi forum, & possunt delinquere, ut delinquere possunt illi, qui sunt sub Ecclesie foro: ergo pro hominibus Ecclesie judicandis debet dari forum, quod sit a seculi foro separatum; sed hoc nequit esse nisi forum Ecclesie: ergo datur forum Ecclesie externum. II. Dantur delicta, quæ sunt externa, & quorum iudicium ad Ecclesiam pertinet; sed de his non possunt Laici Judices iudicium ferre: ergo ferre debent iudices Ecclesiastici; atqui hoc idem est, ac Ecclesie forum externum statuere pro censuris: ergo dari debet forum externum Ecclesie pro censuris. III. Dari debet forum illud in Ecclesia, quod omnino in illa fuit, & pro personis, & pro